DISPUTATIO MEDICA

DE

HYDROTHORACE.

AUCTORE, A. W. DAVIS.

PRÆFANDA.

Inter genera nec pauca, neque levia valetudinis adversæ, quæ viribus luxu aliundeve fractis enasci soleant, nullum omnino crebrius corpora humana plectit, sæpiusve præsentissimis et potentissimis medicinæ auxiliis obnititur, quam quod apud medicos hydrops nominatur. Non in animo est de hydrope om-

nigeno disputare; quippe quod argumentum tam late patet, ut angusti limites, quibus contineor, omnia notatu digna vix amplectantur; *Hydrothoracem* igitur selegi, de quo, legi scribere imperanti obsecutus, pauca dissererem: non sane spe novæ lucis afferendæ huc adductus; sed, quam brevissime et clarissime potero, quæ viri celeberrimi de hoc morbo edocuerint, proponere statui.

Hydrops, quem Latini "aquam inter cutem" vocarunt, ita definiri potest: 'major copia laticis quam fert natura, in aliquam membranam *serosam* profusa, *mucosis* simul minus æquo secernentibus.' Duplicis autem generis sunt hydropes: nimirum latex vel in membranam cavernosam funditur; vel in capsulas ampliores. Si in illam, morbus *anasarca* nominatur: si in has, plures hydropes constituuntur; scilicet *hydrocephalus*, *hydrothorax*, *ascites*, *hydro-rachitis*, *hydrocele*, *hydrocardia*.

Hydrothorax est latex utroque vel alterutro pectoris latere inclusus. Complectitur quoque substantiam pulmonis propriam hydrope tumentem, capsulamve cordis latice repletam. Sæpius tamen hæc vox ad *pleuræ* hydropem indicandam adhibetur.

Etiamsi neuter sexuum, nulla ætas, nulla corporis indoles hoc morbo sit immunis, præcipue tamen in eum incidunt senes, vel luxu, morbis longis aliisve noxis valetudinem contriti. Eoque opportunior est quisque, si ebrietas vires solverit et viscera corruperit.

Cullenus perceleber *Hydrothoracem* Classi *Cachexiæ*, Ordini *Intumescentiæ* subjecit, et sic definivit. "Dyspnœa; faciei pallor; pedum œdemata; urina parca; decubitus difficilis; subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans."

Hæcce præfatus, ad signa consideranda transibo.

DE INDICIIS.

Morbus, quem prosequor, passu tardo accedere et quasi insidiari jam iniens solet; nec raro penitus confirmatur, et radices altas corpori infixit, priusquam medicus eum clare intellexerit.

Principio, angor circa præcordia vexat, qui præsertim ad infimam ossis pectoris partem refertur. Spiritus ægre trahitur et emittitur, præcipue ubi cursu expeditiori corpus agitatur. Cum vero mala demum inveteraverint, homo assidue non solum inter equitandum aut currendum sed quiescens, difficulter anhelat; et supinus difficilius quam erectus; ideoque per noctem quam interdiu. Nec facile cubat; utrum vero in latus jacere nequit, alteri latex subesse consuevit: quidam profecto eo opprimuntur, ut in neutrum sit decumbendum; et eos supinos esse oporteat

inter dormiendum. Tali, pedes et crura aqua intercute intumescunt, præcipueque vespertino tempore. Tussis crebro plectit; nec pituita initio simul excreatur; demum vero sputum apparet. Arteriæ saliunt exiliter, citius quam ex consuetudine, et inæqualiter. Vultus angorem animi luculenter insignit; oculi enim nitoris soliti expertes elanguent; facies expallescit; et ubi ad ultima perventum est, labra purpurascunt. Cor parum rite movetur; at sæpe vehementer palpitat; et potissimum ægro decumbente. Humores secerni et excerni, corpore integro, soliti nunc pene supprimuntur. Urina parcior et coloris saturioris redditur, *albumine* superfluens; ex eaque decidit quiescente et frigente fuscum. Alvus pigerrima raro, durum exiguumque dejicit. Sitis torquet, vix satianda; cutis exarescit; et ne multa, membranæ omnes *mucosæ* minus æquo secernunt. Illud vero præ omnibus signis memorandum; quod agitato trun-

co, latex fluctuare, vel intus tremere sentitur. Quod alii contemnunt, ancipiti indicio; cui autem alii quam maxime fidunt. Quibusdam ægrotantium hoc malo brachiorum alterutrum torpet; cuique lateri adest liquor, ejusdem brachium imbecillum redditur. Notis demum increscentibus, spiritus adeo impeditur, ut homo, nisi erectus, anhelare vix possit; et jacens pene extinguatur. Noctu somni breves ægro conciliantur; si quid vero dormiat, quies ista non reficit, sed horrida somnia terrent; et infelix experrectus extemplo se periturum conjicit. His indiciis mox alia accedunt mortis mox venturæ prænuncii. Ruunt vires; sudore glutinoso et egelido diffluit summa cutis; membra extrema perfrigent. Tandem infelix in præcipiti versatur, mox absumendus, cui robur eo deficit, ut spiritus, cordisque et arteriarum motus quam exilissimi sint, et citissimi, vultu extenuato et pallido, dum crura hydrope insigniter intumes-

cunt. Mors huic misero, uti certa, ita quoque exoptanda.

DE IIS, QUAE INCISIS CORPORIBUS PATESCUNT.

Cadaveribus absumptorum scalpello patefactis, pectus quam plurima præter naturam exhibet. *Pleura* alterutra aut utraque latice ejus proprio superfluere conspicitur. Quoties uni lateri soli hydrops contingit, lævum altero frequentius opprimi, usu docemur. Haud raro humore simul capsula cordis intumescit. Non semper liquor ipsi *pleuræ* inhæret; sed interdum sacculi complures exigui eo implentur, pectori equidem infixi: unde proprium *hydrothoracis* genus constituitur. Hi vero *hydatides* appellantur: liquor istis saccis inclusus aliquanto crassior et flavior, quam qui fere *hydropem* conficit, reperitur.

Cor non raro vitiosum invenitur; vix sane, aut ne vix quidem integritate gaudet; quippe cujus vitia multa causæ sunt hujus morbi præcipuæ. Persæpe durius est quam natura fert, eo ut vel totum vel hic illic pene in os fuerit versum. Cor sinistrum frequentius quam dexterius, male se habet. Valvæ *mitrales* et *semilunares* arteriæ magnæ propriæ sæpenumero induruisse comperiuntur. Interdum *aörta*, ubi se arcuat aut rigida os simulat, aut *aneurismate* imbecilla est.

Pulmo collapsus densari consuevit; et in aquam conjectus vix ei supernatat, aut tarde præceps fertur: neque vero hoc perpetuum est. Aliquando hoc viscus tuberculis obturatur, ulcereve fœdatur: quod si inflammatio hydropem, de quo agitur, antecesserit, *pleura* costarum, et ea pulmonis propria hic illic cohæsisse apparent.

Nec sana ventris semper reperiuntur viscera. Nonnullis jecur induruit, amplius simul

quam ex consuetudine; neque hoc solum, sed aliquando *pancreas* eodem vitio laborat. Non desunt alia; tantuli tamen, ut non male de iis sileatur.

DE SIGNORUM RATIONE.

Causa continente alicujus morbi cognita, fere patebit signorum ratio. Quod ad malum, de quo scribimus, ea quæ secto cadavere introspiciuntur, satis arguunt, *hydrothoracem* latice pleura incluso superfluente contineri. Consilium est non nisi quædam graviorum signorum inquirere.

Spiritus difficilis. Liquor, qui hoc morbo implicitis pulmonem circumfert, eum admodum gravat, ideoque efficit ut animæ fistulæ omnes minus æquo aëris circumflui accipiant; et sanguis lentiori cursu hoc viscus permeet.

Quo fit ut spiritus difficulter trahatur et emittatur.

Respiratio erecto quam jacenti expeditior. Homine, cubante, humor pulmonis superficiem totam ubique æqualiter premit: et ad pectoris supremam partem ascendit. Hinc spiritus valde prægravatur. Ubi latex uni lateri insidet, æger ex facili in id cubans anhelat: difficillime tamen, in sanum jacens; eo quod humor huc inclinatus pulmonem integrum premit insigni pondere. Erecto expeditior spiritus evenit; quod serum suo nutu deorsum fertur, pulmonem minus compressurum, septique transversi motum adjuturum.

Crurum pedumque tumor. Causa e duplici artus inferiores intumescunt: partim, nempe, quod solutis viribus, vasa exhalando dicata plus justo profundunt, absorbentia minus recipiunt: partim, sanguis in pulmone tardatus,

nec facile ab artubus inferioribus redux, efficit ut horum venæ tumefactæ ægerrime sanguinem ab extimis arteriis accipiant ; et ideo, ut patula earum ostia magis solito humoris in sacculos membranæ cavernosæ fundant.

Cor palpitans. Quoties cor palpitat, ejus cava sanguine superfluunt ; scilicet cor vehementer agit, eo quod incitamento insolito, id est, insigni copia sanguinis, irritatur. Quem igitur plectit hydrops pectoris, ei cor palpitat ; quia ejus atria dextra, ob sanguinem lento motu per pulmonem translatum, intumescunt ; porro valvæ ejus, præsertim *mitrales*, persæpe obrigent ; unde cursui sanguinis haud parum obstant.

Brachiorum alterutrum imbecillum. Torpet brachium, quia latex pectore inclusus nervum *phrenicum* premit ; qui eodem fonte nascitur

quo *plexus axillaris.* Hanc vero rationem ejus signi anceps dubiusque, propono.

Secernenda et excernenda suppressa. Hydrops, quod jam proposui, est humor membranis *serosis* superfluens, *mucosis* deficiens. Cur ita se res habeat, paucis explorabo. Hydrops pectoris, pulmone gravato, nec raro corde vitiato, facit ut sanguis tarde et difficulter per hæc deferatur, nec ut homine sano, penitus reficiatur. Hinc sanguis venis abundet, arteriisque deficiat necesse est; verisimile est quoque his subesse sanguinem minus purum, et incitando habilem. Venis distentis oportet, ut ora patula arteriarum plus solito laticis in membranam cavernosam et alias *serosas* fundant; haud secus atque fistula non vitalis liquorem per ejus ostium effluere sinit, exitu alio denegato. Humores autem secernendi supprimuntur, quia actio arteriarum

propria et vegeta eos gignit; hæc vero languescit, quod arteriis deest irritamentum idoneum.

Somni turbati. Cerebrum et pulmo circulo quasi æterno se invicem incitant, juvant, lædunt; alterque alterius bonorum aut malorum fit particeps. Pulmo non solum continenter laborat, hydrope pectoris urgente, at multo vehementius inter decumbendum; idque ex causa prius memorata. Actio cerebri hinc in tantum perturbatur, ut somnia dira dormientem exagitent, demumque e somno excitent. Jam experrecto cor fortiter et inæqualiter salit; quippe cujus cava mole perinsigni sanguinis tument.

DE CAUSIS.

Causæ hujus, uti aliorum morborum, duplicis sunt generis: scilicet, quæ homines op-

portunos reddunt; et quæ morbum ipsum gignunt. De utrisque nunc disputandum.

De Proclivitate. Vires fractæ potissimum corpora huic morbo subeundo aptant. Quidam perhibent mares præ mulieribus opportunos esse: qui si recte judicaverint, id accidere existimo, quod illi causis excitantibus, ob vitæ rationem, magis objici solent. Natura potius fæminas procliviores finxit; quippe quas fibris mollioribus et viribus tenuioribus instruxit. Quibus perpensis, anceps de hac re hæreo. Propensi sunt obesi, si laxa simul partium fabrica iis contingat; et omnes ea corporis proprietate donati, quæ *temperamentum leucophlegmaticum* apud medicos nominatur. Robur sanguinis cursu, abortu, partu frequenti, alvi dejectione vehemente, aliundeve contritum efficit ut aliquis quam facillime in hoc dirum malum incidat. Corpus in senium jam vergens permultum operæ quo-

que huc confert; idque e causis pluribus. Cor et vasa senioribus infirmantur; eo quod jam diutius egerint. Quinetiam, natura hanc tulit legem, ut membrana arteriarum et cordis intima ideoque hujus valvæ, annis ingravescentibus, obrigeant, et pene in os convertantur, venæ autem emolliantur. Hinc hæ valde turgeant, necesse est: nemo autem, medicinæ peritior, ignorat in quantum venæ oppletæ hydropi omnigeno faveant. Denique, uti imbecillitas facit, ut hydrops facilius aliquem implicet; ita etiam eum inferre potest: vasa enim exhalantia laxata plus æquo humoris effluere sinunt, *lymphatica* autem debilia minus resorbent.

De Causis Excitantibus. Causæ excitantes aliam atque aliam distributionem accipere possunt. Satis convenire videtur ut ad dua capita referantur; quorum unum vitia partium interiorum, quæ hunc morbum pariunt,

amplectatur; alterum cæteras omnes causas comprehendat.

Causæ omnes illæ aut circuitu sanguinis, aut motu humoris per vasa resorbentia præpediendo nocent. Huc pertinent cor sinistrum quovis vitio laborans, morbi pulmonis, officia venæ *azygi*, *ductusve thoracici* gravata et jecur ampliatum et duratum. Vitia lævi cordis, quæ volo, sunt valvæ *mitrales*, aut arteriæ magnæ propriæ in os versæ; ventriculus sinister ampliatus, et simul infirmus, aut osseus: porro *aörta* jam iniens aut ubi se arcuat, rigida aut *aneurismate* tumefacta. Quæ omnia hydropem pectoris moliuntur, obstando, quo minus aditus facilis in arterias sanguini patescat; et igitur, ne idem per venas *pulmonicas* ad *auriculam* lævam reducatur: unde, his valde turgentibus arteriæ sodales majorem justo laticis copiam halent, necesse est. *Arcus aortæ aneurismate* intumens quoque *ductum thoracicum* aliquando premit;

quo efficitur ut vasa resorbentia ægrius humores intus profusos recipiant.

Asthma, *peripneumonia*, tubercula pulmoni infixa, aut quicquid aliud ejus malorum sanguinem circumeuntem tardet, inter causas excitantes habenda.

Vena *azygos* oppressa, aut *varice* imbecilla eodem spectat: sic enim tumefiunt ultra debitum venæ *intercostales* et *bronchiales*: quod sequitur, ut arteriæ earum conjugæ plus secernant. In aprico est ex ante dictis cur *ductus thoracicus* dilaceratus aut pressus hydropes progignat.

Jecur durius et grandius hydropem ventris sæpenumero, pectoris nonnumquam infert: illum, vena *portæ* comprimenda; hunc multiplici ratione: nempe, viribus conterendis, quoniam facultatem concoctricem alimenti hebetat; *aörta* gravanda, et ita sanguine ad arterias pectoris exhalantes copiosius delato;

demum, septi transversi actione præpedienda, unde spirandi difficultas nascitur.

Causæ non in visceribus positæ, sunt cutis e *scarlatina*, vel *erysipelate* ex improviso deflorescens, exinanitiones subito repressæ, veluti *hæmorrhöis*, halitus cutis, menstrua; potus quoque frigidi corpore sudante ingesti, aër humidus et frigidior; quæ sudore supprimendo nocent: et undecunque robur comminuitur. Noxæ, quæ viribus labefaciendis, hominem hoc morbo implicant, sunt sanguinis profusio major, aut arte aut natura hanc moliente; alvi dejectiones crebræ, ebrietas, cibi parciores et tenuiores, aliaque ejusmodi. Omnes hæ causæ, ut opinor, præcipue si, visceribus integris, admoveantur, quanquam omnigeni hydropis afferendi sint potentes, sæpissime tamen *anasarcam* cient.

DE DIAGNOSI.

Notæ hujus morbi raro non tam lucent, ut medicus vel artis Apollinaris inexpertus, si animum ad eas advertat, erret. Illud solum decipere potest, quod alii morbi, maximeque cordis proprii, cum hoc sociari possunt; sic ut dictu sit difficile, quo potissimum homo implicetur. Qui præsertim hunc simulant, sunt *asthma*, *empyema*, *aneurisma arcus aörtæ*, et *hydro-cardia*. Quomodo ab iis discerni possit, quam clarissime potero, explicabo.

Asthma. *Asthma*, et hydrops, quem prosequor, non raro eundem torquent; quod medicum fallere nequibit, si utriusque signa probe cognoverit. Illud invicem modo accedit, modo quiescit; hic contra assidue ægrum plectit. Illud noctu hominem subito invadit; cui tum vultus turgere et livere consuevit, anima trahitur cum sono sibilum

referente; vox pene faucibus hæret: æger initio tussiendi est impotens, et violento angore circa præcordia cruciatur. Hæc mala primà fere luce tussi pituitam viscidam excreatura solvuntur, integritate, ut videtur, secutura. Plura ex his pectoris hydropi deficiunt: quo tentante, cor sæpe inæqualiter salit, notæque accedunt, qualibus vacat alterum.

Empyema. Pus an serum pulmonem impediat, parvi intererit, quod attinet ad signa hoc presso oriunda. Proinde haud secus *empyemati* atque hydropi pectoris, spiritus turbatur, vix trahendus aut emittendus, nisi corpore erecto; liquor porro utrique, pectore agitato, fluctuare sentitur; et difficile est cubare in latus, cui deest humor. Quo igitur invicem distant? Inflammatio pulmonis illud semper, hunc raro antecedit. Illi subest febris *hectica*, huic nequaquam. Illud porro pluribus hydropis indiciis vacat; qualia sunt, aqua

pedum intercus, labia liventia, cordis motus abnormis, urina rufa.

Aneurisma arcus Aortæ. Hoc dirissimum mali genus hydropem, de quo disputamus, sæpe inducit: cognitis autem utriusque signis, non errare poterimus, etiamsi cöirent. *Aneurisma* igitur propositum, ubi aliquanto diutius perstiterit, tumore dolente, os pectoris percutiente, vicissimque se attollente et submittente, animæ defectione frequente, cordis motu admodum inæquali et incitato, voce imbecilla, arteria dextri carpi, citius fortiusque quam sinistri, saliente, aliisque sui propriis denuntiatur.

Hydro-cardia. Nullus morbus sæpius quam hydrops cordis capsulæ, propositum comitatur. Quod cum ita sit, discernere posse parum habet utilitatis, si quidem remedia eadem fere utrique conveniunt, paucis exceptis.

Accidere tamen potest, ut alteruter eorum unicus adsit; unde opus sit *hydro-cardiæ* notas intelligere. Quem igitur hæc contorquet, is spirat facilius corpore prorsum inclinato, quam erecto; erecto, quam supino. Cor micat infra sedem solitam; pulsum quasi duplicem, manu imposita, ostendit: liquor porro circa apicem cordis fluctuare percipitur; et anima crebrius deficit: hæc perspecta dubitantem illustrabunt, errantem dedocebunt.

DE PROGNOSI.

NIHIL utilius est medico, quam ut eventus morborum futuros præsagire possit. Hunc in finem oportet non solum signa notet, sed rationem corporis, ætatis, virium, et quamdiu mala jam permanserint, novisse. Satis constat hominem sanguine plenum, robore et juventa vegetum nequaquam in præcipiti ver-

sari. Hoc vero scire licet, longe sæpius metuendum esse, quam sperandum; eo quod perraro hydrops nisi valetudinem fractis contingit. Si quis, præter morbum propositum, *anasarca* simul implicatur, parum tutus habendus; eoque pejus est, cor, pulmonem, jecur aut hæc omnia vitiari. Quod si his accedant vires gula, ebrietate, libidine, senio, aut aliunde labefactatæ, homo servari non poterit. Neque spes superest, si cutis summa gelido diffluit sudore; si crura et brachia magis indies intumescunt, nec iis subest calor: si misero, nisi erecto trunco, spirare omnino non liceat; si labra purpurascere cœperunt; urinaque et stercus, animi injussu labuntur. Non semper bonum est ut pituita extussiatur; quo hoc signum felix habeatur, oportet ut sputum sit facile, spiritus simul expeditior, robur non deficiat, nec artus aqua intercute tumeant. Denique, non desperandum, ubi,

visceribus integris, medicus tempestive et morbo jam ineunte, summam opem tulerit.

DE MEDENDI RATIONE.

Perraro medicina *hydropicos* sanare potest; eo quod vitæ ipsius flamma fere iis languescit, nulli arti humanæ renovanda. Longe sæpius illud solum penes est medicum; ut signa molestiora, quæ fatum præsens infelici minitantur, consopiat, et ita vitæ spatium producat, ærumnasque levet.

Curatio sequenda consilio triplici continetur: hoc autem est,

I. Efficere, ut latex auferatur.

II. Noxas excitantes et exasperantes subducere aut arcere.

III. Morbo subiato et renaturo obstare.

I. Latex summovetur, aut ingestis quibusdam medicamentis, aut ferramentorum auxilio. His non utendum, nisi illa spem fefellerint, jam acriter adhibita. Præcipue danda erunt, quæ alvum fundunt, sudoremque, urinam, sputum, vomitum et alia secernenda movent. De horum singulis proximum est, ut quædam disputem.

Alvi purgantia et ducentia. Alvum solicitant quædam vehementer, alia leniter: hæc solummodo motum fibrarum intestini motricium celerant; ideoque stercus dejiciunt, at vix aliquid præterea moliuntur. Illa non solum id ipsum efficiunt; verum etiam arterias intestini concitant; adeo ut membrana ejus intima plus secernat, et liquidæ dejectiones fiant. Acria hæc medicamina unica *hydropicis* prosunt: quomodo juvant, non prorsus convenit. Iis assentior quibus proficere videntur, partem sanguinis tenuem ab arteriis pectoris

ad *mesentericas* et membranam intestinorum intimam dirigendo; quo fit ut, illæ in posterum minus seri profundant, et igitur vasis *lymphaticis* solito modo agentibus, hydrops demum evanescat. Alii equidem sibi persuaserunt, alvi dejectionem acrem, vasis resorbentibus incitandis, hunc morbum debellare: quæ opinio nullis documentis niti videtur. Nosse sane juvat, hæc remedia discrimine non vacare, si largius, diutiusque concedantur; sanguine enim ad arterias intestini impulso, vasa cerebri in tantum vacuefieri possunt, ut exinde vires concidant. Optima ex iis sunt, *Convolvuli Jalapæ* radix, *Submurias Hydrargyri, Gutta Gambogia, Cucumis Colocynthis, Momordica Elaterium.* His rite adjiciuntur Sales medii. Alvum ducere interdum utile erit.

Sudoris moventia. Ea, quæ insudare faciunt, persæpe opitulantur; maximeque ubi

frigore, aut undecunque sudor supprimitur, morbus natus sit; fatendum simul, hæc auxilia magis aqua intercute artuum implicitis convenire: *Pulvis Ipecacuanhæ et Opii*, parata ex *antimonio opio* adjuncta, vestitus laneus et tepidarium, satis huc operæ collocabunt: non autem his solis confidere decet.

Urinæ cientia. Nulla remedia iis, quæ urinam movent, antecellunt; plurimum enim humoris citra imbecillitatem illatam, detrahunt. Verisimile est, quædam eorum vasis resorbentibus quoque incitamento esse: *Supertartris Potassæ* scilicet non raro hydropem celeriter tollit, etsi parum urinam promoverit. Controversia tamen de hac re missa, satis constat *Digitalem purpuream*, *Scillam maritimam*, salem ante dictum, oleum *Juniperi communis*, *Acetitem Potassæ* et *Spiritum Ætheris Nitrosi*, quæ omnia urinæ augendæ accommodantur, perquam in hydropem pectoris valere. Cæ-

teris *Digitalis purpurea* habetur prælucere. Quando jecur duratur, *Scillæ maritimæ* adjicitur *Submurias Hydrargyri.*

Sputi moventia. Ea quæ faciunt ut membrana fistularum animæ *mucosa*, hydrope tentatis siccior, plus secernat, et pituita secreta expuatur, in hoc genus hydropis quam maxime proderunt; idque ex causa satis manifesta. *Scillæ maritimæ* pauxillum, vinum *Tartritis Antimonii*, vapor aquæ ferventis cum spiritu acceptus, *Ammoniacum*, satis in hunc finem respondebunt.

Quæ vomitum inferunt. Vomitus *hydropicos* duplici e causa adjuvat: scilicet, efficiendo, ut secernenda secernantur, et excernenda excernantur: necnon, vasa absorbentia concitando. At non semper medicamine excitandus est: si enim cor vitiis laborat, metus non deest, ne vehementes nisus inter vomen-

dum editi hominem repente strangulent, aut cor ipsum dirumpant. Vomitus quoque proficit, eo quod sputum et sudorem elicit: quoties ventriculus sit solicitandus, *Tartris Antimonii* et *Ipecacuanhæ* radix id optime efficere consuerunt.

De *Exulcerantibus* non silendum. Conjicio hoc genus auxilii perraro idoneum esse; in hydropem sane pectoris magis quam alios. Metuendum est, ne ulcus mali moris inde natum ad gangrænam illico ruat; idque ob valetudinem fere conquassatam. Si vero spiritus valde laborat, necdum contritum sit robur, quoniam sedes hujus morbi cordi vicina est, oportebit cutem circa os pectoris exulcerare. *Tartris Antimonii Meloë Vesicatorio* præstat: quippe qui sal inflammationem accendit minus ad gangrænam præcipitem.

De Paracentesi. His omnibus frustra ad-

hibitis, et spirandi facultate vehementer impedita, opus erit humorem ope ferramenti elicere. Cavendum ne vasa et nervi *intercostalia* vulnerentur; et præsertim ne pulmo violetur. Si igitur suspicari liceat, *pleuras* alicubi pectoris cohærere, humore nempe non fluctuare percepto, corpore erecto non spiritum expediente, et inflammatione prægressa, pectus non perterebrandum. Periculum est quoque, ne, curante imperito, aër pectus subeat. Quibus perspectis, rarius medici laticem ita tollunt.

II. Si jecur durum hydropem intulerit, præparatis ex *hydrargyro* resolvendum. Cordis vitia non sunt medicabilia: causæ tamen, quæ ea exasperant, evitari possunt. Ebrietas fugienda: temperate vivendum: cœlum siccum humido præstat. Corpus panno laneo vestiendum.

III. Morbo fugato, viribus succurrendum. *Cinchona officinalis*, et e ferro præparata, sumi debebunt: nec aliquantum vini rubri Lusita-

nici alienum erit. In mare aut frigidarium quotidie descendendum, ni virium ratio, id est, harum summa resolutio id fieri vetet. Ambulandum aut equitandum indies, citra fatigationem. Cibus optimus est, qui ex facili concoquatur, e media materia. Elici oportet quæque secernenda et excernenda. Denique, potus meraci nocentissimi sunt : quod si infirmitas et consuetudo prava potandi prægressa incitamentum hujusmodi postulent, vinum et cerevisia fortior, *alcoholi*, spirituive Gallico aut Indico anteferenda.

FINIS.